

www.e-rara.ch

Johannis Prideaux Opera theologica quae latinè extant omnia

Prideaux, John

Tiguri, 1672

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-13503>

Oratio III. inauguralis. De gog et magog,

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien - von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material - from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes - des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [\[Link\]](#)

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [\[Link\]](#)

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [\[Link\]](#)

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [\[Link\]](#)

ORATIO III. INAUGURALIS.

DE

GOG ET MAGOG,
IN PROMOTIONE
DOCTORUMGuiliel. Loe. Sim. Jucks. Fran. Gibbons. Edm. Jackson.
Ric. Etkins. Tho. Otes.

OXONII in Comitijs habita Anno 1618.

Apocalypf. XX. verf. 7. 8. 9.

7. *Et cum consummati fuerint mille anni, solvetur Sathanas de carcere suo.*
8. *Et exhibit & seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terra, Gog & Magog, & congregabit eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris.*
9. *Et ascenderunt super latitudinem terra, & circumierunt castra Sanctorum, & Civitatem dilectam, & descendit ignis à Deo de Cælo, & devoravit eos.*

Tertius jam recurrit añus (Patres & Fratres) quo pro majorum more, & meo qualicumque ministerio, emittenda est nova operariorum classis in vineam Domini, Atque antehac primò Testes, deinde Vestes ita Testibus adaptatas accepistis, ut faciliè ex ornatu Doctor enotesceret, & Theologus ex vocali ingressu in Sanctuarium. Non ingratus forsan sequeretur deinceps de horum graduum dignitate, de privilegiis, de proventibus, de prisca veneratione discursus; nisi verba de talibus facere in hisce temporum ulceribus, esset penè adulari, aut planè verba dare. Quàm verò optarem ego dilectis hisce Filiis perpetua halcyonia! pulvinaria hujusmodi ubique holoserica! applausus ab astantibus ubivis benevolos! Sed video aliam sortem à talibus esse subeundam. Periclitantur Christi Apostoli, ut oves inter Lupos, & numquid servus major Domino? aut Magistro discipulus? Ita disponenda igitur est hodie nostra velificatio, ut non priùs de Insulis fortunatis, quàm de Scylla, aut Charybdi cogitemus. Cùmque incidimus tandem in istas Syrtis, quibus

bus solutior Saran nullos non evomit torrentes, ad subversionem parturientis foeminae; cum imittat occulte piratas, qui sub ementito devorionis vexillo, simpliciores allidant ad scopulos, & inter se committant; ut turbatas istorum classes, Antichristiani Myoparones opportuniùs adorianur; cum non desint inter Magnates Elymæ; inter opifices, Demetrii & Alexandri; in foro, Tertulli & Fœlices; qui pleni omni dolo & εὐδαιμονία, aut doctrinam calumnijs onerant; aut in Doctores impetum faciunt, in titulos declamant, detrahunt privilegijs, vestimenta distrahunt inter se, & de tunica fortes mittunt? cum fatiscat jam mundus sub sua mole & senio, suspectam habeat pacem, nullo certo fundamento nixam, tremat ad quosvis susurros, quia ex præteritis didicit de futuris aliquo modo præsigire: pretium (sicut mihi persuadeo) alicujus moræ esset (Patres & Filii) dispicere, quid monstri tegitur sub hac ultima silentis mundi catastrophe, & quid parturiant omnia ista auguria, suspiciones, vaticinia, quæ sagaciorum animos ita tenent hodie sollicitos, ut sub Agni vexillo militantes inexpectatum nihil exanimet, erecti ad quodvis classicum, hostes alacriter antevertamus, cum quales futuri sint, & quò tendant, perspectum antea habeamus. Hoc autem ut fiat dilucidius, audiamus dilectum discipulum, ex sinu Domini Salvatoris ista referentem, Apocal. 20. 7. *Et cum consummati fuerint, &c.* Omissis hinc solutione Saranæ, & mille annis (quos, sive ordiamur à Domini incarnatione, & terminemus in Sylvestro secundo, sive ab ejusdem passione, ut desinat in Benedicto 9. sive ab excidio Hierosolymitano, & in Gregorio 7. sive Hildebrando, sive à Constantini Magni imperio: (quæ receptior est sententia) & in Bonifacio 8. sub Turcarum exortu, figatur periodus; non multum à verò aberrabimus) mihi satis erit hæc tria carptim delibasse, & præsentii instituto accommodasse: *Primum*, quoniam futuri sint isti *Gog & Magog*, *Antesignani* exeuntium & seducentium gentes in quatuor angulos terræ. *Secundo*, Quales ipsorum *commilitones*, quorum numerus est sicut arena maris. *Tertio*, in *Quos*, & quo *successu*, copias tam infinitas ducunt & dirigunt: ut ita hi Filij mei, & de hostibus certi, & eorum gregalibus, alios domi inter fratres non quærant, sed in horum solummodo vultus, arcum & nervos dirigant, & junctis quasi umbonibus hos solummodo oppugnent, è quibus destinata tandem reportaturi sunt victoriæ trophæa.

2. Et ne longius abeam, Inter cætera Scripturæ *δυσνόητα*, quibus revocare voluit Deus superbum hominis intellectum à fastidio, (monente Augustino) cui facile investigatu plerumque vilescunt; vix involutius occurrit oraculum, quàm de *Gog & Magog*. De illis enim bis junctim tantum legimus, semel in Testamento vet. Ezech. cap. 38. & 39. iterum solummodo in hoc commate, quod jam præ manibus habetur. Utrobique ita dissentiunt Authores, ut difficiliter penè sit ipsorum Litigia de re, quàm rem ipsam comprehendere. *Jesuita* (quibus solenne est aliorum sententijs latas paginas implere, ut ad tam multiplicem lectionem imperitiores stupeant) decem ad minimum hæc de re corradunt opiniones; has confundit Alcasar in hunc locum; Bellarminus lib. 3. de Rom. Pont. cap. 17. distinctè proponit & discutit. Ego (ὡς ἐν τίπῳ) brevius (si fieri possit) sic contrahere satagam. Quid significant *Gog & Magog*, non eodem sensu tradunt Judæi & Christiani: Judæi somniant *Gog pseudo-Messiam* quendam futurum: *Magog* verò gentes quasdam Aquilonares ultra Taurum montem, ab Alexandro magno reclusas, quæ in fine seculi, sub auspicijs ducis *Gog*, in civitatem sanctam irrumpentes, à Messia (quem adhuc expectant) sunt delendæ. Nec aliter fabulantur *Mahometani* in Alcorano, Azoara 28. & 31. nisi quòd de Messia & Hierosolymis non habent quod pronuncient. *Christiani* verò qui Messiam jam dudum ve-

Hieronymus,
in Ezech. 38
Gala lib. 5.
cap. 12.
Vid. Eldad.
Danium de
Judæis Clau-
sis apud Ge-
nebrard. in
Chronolog.

Inft. 1. 7.
c. 24. 25. 26.

nisse nōrunt, vel Antiquiores sunt vel Recentiores. Ex *Antiquis*, alii literæ sunt affixiores, alii contenti mysterio. *Literam* magis premunt, primò Lactantius, & qui cum illo lapsi sunt *Chiliaſta*. Iſti autem poſt millenarium mundi ſextum, & Antichriſtum è medio ſublato, in ſeptimo ligationem Satanæ, & terrenum Chriſti imperium, per 1000. annos in nova Hieruſalem expectârunt. Quibus finitis erumpet rurſum Satanæ, unà cum Gog & Magog, & in Civitatis ſanctæ cadent obſidione. Quam victoriam excipiet ſecunda Sanctorum Reſurrectio, & optatiſſimus ad cœlum tranſitus. Utcunque autem ridicula, & febricitantis alicujus inſomnium videatur hæc opinio; aſſertores nihilominus invenit *Patres* penè omnes ante Hieronymi tempora. Unde colligat quiſpiam, quàm arundineo ſit niti baculo, neglectis Scripturarum fontibus, contraſtas hujusmodi ciſternas nimium in deliciis habere. *Secunda ſententia* eſt Eufebij l. 9. *Demonſt. Evang. demonſt. 3.* ubi per Gog, *imperium Romanum*, intelligi contendit. Nec obſtat quod excipit Bellarminus, locum illum, quo niritur Num. 24. à 72. eſſe corruptum; cùm in Hebræo *Agag* non Gog inveniat; quia non tantum ex iſto loco, ſed ulterius idem confirmat ex Ezech. 38. quæ quia vaſtè ſupprimat Bellarminus, verba libet ſubjicere: *Meminit* (inquit) *Gog etiam Propheta Ezechiel, dum principem, Ros, Moſoch, & Thobel nominat: ubi per illud Ros, Romam (ut par eſt) civitatem designat, quandoquidem principatus & caput eâ voce apud Hebræos intelligitur.* Tertio, è Gog, Ambroſius, per nominis quandam affinitatem *Gothos* ſive *Geithas* educit; qui in illo, quo vixit, ſeculo, Eccleſiam & Romanos miris cladibus afficiebant. Sed utrùm hoc ſit verum (inquit Hieronymus) in fine prælij monſtrabitur. Quartam nonnullorum opinionem (quos non nominat) refert idem Hieronymus, in Ezech. 38. qui Gog pro *Diabolo*, Magog pro ipſius *Angelis* habuère, & bellum hoc geſſiſſe in cœlo, cùm à Michæle, Draco inde erat, deturbatus: ut ita de *præterita* & non futura, celebris hæc eſſet prophetia. Sed hoc ſcopum ipſum Apocalypſæ penitus evertit. Conſultius Theodoretus, Ezechielis de Gog & Magog vaticinium, ad bellum refert *Maccabæorum*; in quos Alexandri ſucceſſores (ſicut Gog & Magog) impetum fecerunt, & tandem viſti ceſſerunt. Ita ferè *Patres* ſequentes hiftoriam; quam quia per omnia non quadrare obſervârunt, Hieronymus & Auguſtinus, & difficillimum judicârunt, aliquid aptius in eo genere excogitare, ad myſticos ſe receperunt ſenſus: hic, ut Gog (quod interpretatur *reſectum*) *Hæreſiarchas* designaret; Magog illos, qui *Hæreſiarchis credunt*: illi verò, Gog eſt ipſe *Diabolus*, Magog, *Antichriſtus*. Quibus quid Recentiores, ex eventu rerum magis edocti, lucis contulerunt; ſupereſt ut deinceps perpendamus.

In Ezech.
38.
De civit.
De il. 20.
cap. 11.

3. Hic autem in ipſo limine aliter *Pontificios*, aliter *Reformatos* affectos invenies. Inter *Pontificios*, *Scholæſtici* ferè omnes Gloſſam & Proſperum ſequentur: qui per Gog *hoſtem Eccleſiæ occultum*, & ſubdolum, per Magog *apertum* designari contendunt: unde non eſt, quòd noſtros reprehendant, qui ad Antichriſtum in Eccleſia, & Antichriſtum extra Eccleſiam iſta accommodant. Sed tantum abeſt, ut *Jefuitæ* hoc probent, ut inter ſeipſos, quòd aſſerant, adhuc non inveniant. Bellarminus ſuam ſententiam tribus pronuntiatis complectitur. Primò (inquit) aſſerimus, *prælium Gog & Magog eſſe prælium Antichriſti* contra Eccleſiam. 2. Dicimus, probabile admodum eſſe, per Gog ſignificari ipſum *Antichriſtum*, per Magog ejus *exercitum*, ex gente crudeli & barbara conſtat. Tertio addit, probabile etiam eſſe, Gog dici à Magog & non è converſo; quia Gog eſt princeps gentis, quæ dicitur Magog. Sed animadvertit Ribera hæc inter ſe collidi. Nam ſi Gog ſignificaret Antichriſtum, eo modo

De Rom.
Pont. l. 3. c. 7.

quo vult Bellarminus, & idem sit Ezechielis, & Johannis oraculum, (ut consentiunt Jesuitæ) tum post 45. dies ab interitu Gog & Magog, mundus consummaretur: nam is est Bellarmini calculus, l. 3. de Rom. Pont. c. 17. *Constat* (inquit) *post Antichristi mortem non futuros nisi 45. dies, usque ad finem mundi, ut ex Danielis 12. colligitur.* At extincto Gog & Magog *septem menses* infumuntur apud Ezechielem, in sepeliendis cadaveribus, cap. 39. *Septem* deinde *anni* in comburendis hastis, peltis, & cæteris eorum armis. Nunquid hæc sequerentur (juxta Bellarminum) generalem mundi conflagrationem? Sed de septem mensibus & sepultura, excusare nititur Ribera, Ezechielem sic esse intelligendum, ac si dixisset, *tot essent corpora sepelienda, quot septimestri spacio vix ritè conderentur*; unde potentiam urget, non actum. Sed repugnat textus v. 13. *Sepeliet* (inquit Propheta) *non potentia sed actu omnis populus.* De septennio verò occurrit Bellarminus, Prophetam non loqui propriè, sed figuratè. *Non vult* (inquit) *dicere* (quod reverà dicit) *per septem annos comburenda esse illa arma: sed tam insignem cladem futuram, ut longissimo tempore sufficere possint hasta, & clypei hominum occisorum ad ignem fovendum, si opus esset.* Tam verum est illud Augustini, *Procliviores sumus querere potius, quid contra ea respondemus, quæ nostro obijciuntur errori, quam intendere quæ sunt salubria, ut careamus errore.* Restitit igitur hîc Bellarmino Ribera, negatque primò, Gog Antichristum significare, quod Cardinalis asserit, contenditque. Secundò, incertam prorsus esse mundi consummationem, ideòque temerè ab eodem ad 45. dies post occasum Gog & Magog terminari. Nec ferendus postremò Cardinalis Etymologista, qui vocabulum (si Grammaticis placeat) Gog à Magog derivaret: eodem siquidem criticismo, Christum ab Antichristo, & non è contra, arcesseret.

In Apoc.
c. 20.
Cap. 19.

De Nat. &
Grat. c. 15.

4. Sed ut minutiis hujusmodi non inhæreamus, horum ista tendunt omnia (Auditores.) Somniant Adversarij, Antichristum cum ingentibus copiis paulò ante finem mundi, è tribu Dan subito emerfurum; ipsius sequuturos castra septem Reges, inter quos Gog & Magog Scytharum & Barbarorum ducent agmina; hos quadriennii spacio universum orbem, præcipuè Christianum esse subacturos: unde quemadmodum Judæi concludunt apud Galatinum lib. 5. de Arcano sermone cap. 11. *Messiam* adhuc esse *expectandum*, quia Gog & Magog ab illo interficiendi (juxta Ezechielis Vaticinium) nusquam adhuc comparuerunt; Ita inferunt Papistæ, *Elias & Henoch* è Paradiso succurrentes, Papam adhuc non oppugnârunt, & de Gog & Magog nulla est suspicio, ergo *Papa* non potest esse *Antichristus*, aut Roma ipsius sedes. Præscripti mihi cancelli non patiuntur, ut ista uberiùs explicem. Anile hoc Tenebrionum (quo se solantur) figmentum, facillè dissipabit, quæ jam succedit orthodoxa sententia. Ista autem utcumque à variis variè sit proposita, non ita tamen dissentiunt, quin facillè reconcilientur. Neque enim Centuriatores, qui Gog & Magog statuunt regnum esse *Turcarum*, aut Saracenicum, Bibliandro & Chytræo adversantur (ut perperam colligit Bellarminus) qui prophetiam Ezechielis ad *Maccabæorum* tempora accommodant. Quis enim non animadvertit in Prophetijs, præsertim veter. Testamenti, non tantùm res per verba, sed *futuros etiam eventus per antecedentes prædici & adumbrari*? Unde habetur talium Prophetiarum duplex impletio, prima in typo, altera in antitypo. Quare ut nil obstat, quò minùs *parvulum cornu* apud Danielelem, *Antiochum* designaret immediatè, & Antiochus esset typus Antichristi: ita cur prima irruptio Gog & Magog prædicta ab Ezechiele, & impleta Maccabæorum tempore ab *Alexandri* successoribus, non adumbraret nobis hunc *secundum* eorundem incur-

Aq. part. 1.
q. 1. art. 10.

Pareus &
Brightman in
Apoc. 20.

sum? Quem propter analogiam Johannes eisdem penè verbis delineat; ac si dixisset, ut post liberationem à captivitate Babylonica, non defuerunt Gog & Magog, hoc est, hostes occulti, & aperti, qui usque ad adventum primum Messia, Judaicam affligerunt Ecclesiam: ita liberati tandem Orthodoxi à mystico Babylonis jugo, non perpetuam sibi polliceantur tranquillitatem, tametsi certa sit victoria. Ut enim nova *Babylon*, nova *Aegyptus*, nova *Sodoma*; Ita alter erit *Harmageddon*, alii motus à *Gog occidentali*, & *Magog orientali*, sub secundum ejusdem Messia adventum; ubi triumphabit Agnus, & electi; & hostes perpetuò peribunt. Sunt qui *Gog & Magog* in contextu junctim ad *Turcas* referunt, per gentes verò, quas seducet Satanus, *Papistas* intelligunt. Sed verba sic connectuntur, ut Gentes istas esse *Gog & Magog* necessariò evincant. Non video igitur cur non obtineret recepta ista sententia, quam innuit Augustinus & Hieronymus; apertè tradunt Prosper & Glossa; non contradicunt Scholastici; probant alicubi Centuriatores, & serenissimus Rex noster in Paraphrasi, *Gog & Magog* duos *Monarchas* indigitare; alterum *Ecclesiasticum*, qui sub religionis prætextu maximè Sanctos vexabit; alterum *politicum*, qui apertà vi irruat; ut omnia sub pedibus conculcet. Illum autem Papam, hunc Turcam esse, quis meritò suspicaretur? Cum utrosque æquè à Satana seductos, æquè ovili Christi inhiare animadvertat; nisi fortè primatum Papæ hac ex parte concederemus. At tum legendum esset (inquit Bellarminus) *Gog & Magog*, non *Gog & Mag*, si hic Antichristum occultum, iste Detectum significaret. Quali verò (ut rectè notat Druſius) insolens esset talis in *nominibus* mutatio; præsertim cum hæc Syriacam potius dialectum, quàm Hebraicam sapiant. Adde quòd, ut in ista *ἀναβία* *Miggag* è *Gag*; sic in vindictam *Papisticæ* idololatriæ, emerſerunt ab *Euphratis* ripis, antea victi *Turcarum* Angeli, ut ita scelus scelere puniretur. Habemus igitur utrumque cornu Satanicæ exercitûs: expeditioris jam erit compendii, eorum gregales (ut secundò proposui) limis quasi oculis intueri.

Apoc. 9.

Apoc. 13.

In Ezech. 38

Antiq. l. 1.
cap. 7.

5. *Exibit Satanus ut congreget eos ad prælium*: Infelix pecus quod cogit talis pastor, qui nunquam congregat ad pacem, sed semper ad prælium! In cælo bellum indicit *Michaëli & Angelis*. Inde deturbatus, mulierem persequitur, & flumen egerit, ut fluctibus illam absorbeat. Sed vix iste promptior ad congregandum, quàm *Gog & Magog* ad sequendum. Isti autem qui socia adduxerunt agmina adversus Dominum, & adversus Christum ejus, tantò difficilius est explicatu, quanto parcius Interpretes hîc conjecturas suas interposuerunt. Unde obſervatione vulvûs (ut notat Hieronymus) & multâ consideratione opus est, ut quæ hîc dicuntur, nôsse possimus. Atque *Magog* inter filios *Japhet* invenimus, Gen. 10. A quo *Magogita*, montis Caucaſi & *Mæotidis* paludis incolæ (ut vult Josephus) sive *Cappadoces*, *Armeni*, aut circa *Cæloſyriam* incolæ, ut placet Hieronymo, ubi *Hieropolin* civitatem *Magog* à *Syris* appellari, testatur Plinius hist. nat. l. 5. c. 23. Ista autem *Mahumetanos* fatis nobis depingere videntur. Verùm de resto *Gog* testiora sunt indicia. Unde divinandum potius qualis sit hic ex comitatu, quàm ex certa profapia deducendum. Comites illi auxiliares sunt apud Ezechielem, *Paras*, & *Chus*, & *Put*, *Gomor* & domus *Togarma*: hoc est *Aethiopes*, *Libyes* ab austro, *Cymbri* & *Scytha* ab Aquilone. Sed prinipili statuuntur *Mesech* & *Thubal*. Ita enim separatim legimus de *Gog*, omisso *Magog*, Ezech. 38. 3. *Ecco enim ego ad te Gog principem capitis Mesech & Thubal*. Atqui *Thubal* habent pro *Hispanis*, inter plurimos antiquos, Hieronymus & Josephus: *Mesech* verò pro *Hebruscis* sive *Italis*, inter Hebræos Rabbi David, & Aben Ezra, ex Josepho Ben Gorion. Sorbonicus

bonicus quidam Doctor Paulus Boudot, Canonicus & Archidiaconus in Ecclesia metropolitana Cameracensi, ut Archiepiscopum Spalatensem deterreret à luce Evangelica, ad quam pro tempore simulabat se oculos cum Reformatis aperuisse, contendit titulum Hebraicum, Psal. 79. *ליליס* *ly* pro *lilys*, designare Galliam, cujus lilia sunt insignia: Latinum verò, in fine pro *his* que commutabuntur M. Ant. de Dominis, qui postremis hinc temporibus mutavit religionem. Hinc singularis Fenus (de quo ibidem Psalmista) est juxta istum Canonicum, Calvinus. Quod probabit è Paraphrasi Chaldaica. Eodem artificio Cabbalistico, *Mesech* patriam esse *Lutheri*, & singularem ferum, Calvinum significare, & Davidem, de ipsius schismate conqueri, ex Psalmo 120. colligit. Tam acutos invenit Aristarchos doctus Transfuga, qui opus ipsius de Republica Ecclesiastica, ventris causâ elaboratum, obeliscis catholicis expungerent. Sed quid si aliquis, (ut rependeret vices) exercitum *Gog* ex *Italis* & *Hispanis*, in quos supermatum obtinet Papa, constatum esse contenderet? *Thubal* enim *Hispanos* designare, non affirmant tantum veteres, sed Bellarminus & Gretserus nominatissimi Jesuitæ, quorum commilitones esse Italos, sive Germanos, Meretricis poculo dementatos, eadem facilitate colligitur. Sed non libet in rebus seriis pueriliter arguari. Illud omnes intelligant, tantam esse inter Turcas & *Papistas* in fidem orthodoxam conspirationem, ut non mirabitur quispiam illos, utcunque inter se specie dissentientes, in unum exercitum coalescere. Siquidem eodem ferè tempore (annum circitur 607.) quo extulit caput *Mahumetes* sub Imperatore Heraclio, primatum usurpavit in omnes Episcopos *Bonifacius tertius*. Ut latrocinij & imposturis invaluit Turcismus, ita & *Papismus*. Sufficiat in paucissimis gustum tantum præbere, in exquisitis supplicijs infligendis, Cedunt Turcici carnifices Inquisitioni Hispanicæ. *Polygamiam* inter Turcas, promiscuæ Lupanarium & concubinarûs fœditati inter *Papistas*, quis non præferat? *Peregrinationes*, *miracula*, *oblationes* pro defunctis, non majori sunt apud Turcas pretio, quàm apud primarios Pontificios. De horum Achmate nuper defuncto, quid aliud pronunciarer Christianus, quàm quod haud ita pridem asserit Bellarminus de Sixto 5. Papa Occidentali, *Quantum capio, quantum sapio, quantum intelligo, descendit ad infernum*. Conferas postremò *Aloorum* cum *Legendis*, *Pratis* & *Postillis*, *Vificeros* & *Beglerbegos* cum *Cardinalibus* & *Legatis* à latere, *Spahoglanos* cum *Jesuitis*, *Fanzarios* cum *Fraterculis*, & reliquis ejusdem putredinis *Locustis*, *Assassinis* & *Murtos* cum *Faukesis* & *Ravilliacis*, & hæsitabis, an ab his vel illis, dirius imminet Ecclesiæ periculum. Nisi Forfan ex hac parte Turcæ magis sint probandi, quòd *imagines* averferentur, nec citò principibus suis manus inferant parricidales. Dum Pontificij è contrà, meriti ducant loco, quovis scelere, unctos Domini è medio tollere quoties Jovi Capitolino libebit intonare. Atque isti quidem, ut *Samsonis* *Vulpes*, licet averfis sint capitibus, junctis tamen in eadem flamma caudis, non in uno latitant equo Trojano, sed *Ascendunt in terra latitudinem*, non rari palantes, sed conglobato exercitu irruentes, *cujus numerus est sicut arena maris*, nec aliò dirigunt copias (quicquid crepant hi se esse Catholicos, isti se esse *Muselmannos*, id est, rectè credentes) nisi in *Tzebe* sive dilectam civitatem Domini, de qua non opus est ut tertio in loco multa edisseram.

6. *Ascenderunt, igitur super latitudinem terra, & circumierunt castra Sanctorum & urbem illam dilectam*. At ista omnia præterita jamdudum esse, & non futura, contenderet quispiam, quia vidimus ab *Hildebrandi*, aut saltem à *Bonifacij 8.* tempore, quicquid solutus *Satanas*, aut inferre potuit damni, aut Ecclesia pari. *Sensimus Locustarum Occidentalium Leoninos dentes, equorum & equitum orientalium sulphur*

Verf. 14.

Verf. 15.

Apoc. 9.
Ibid. v. 17.
Apoc. 16.

Apoc. 14.

Ierem. 40.

& fumos: *Ranarum* ex ore Bestiæ egredientium *coaxationes* Diabolicas. Erexit jamdudum vexillum *Agnus* è monte Sion, cecidit *Babilon*, revocata est *Mulier* è Deserto: quorsum igitur injicitur de ulteriori adhuc discrimine, suspicio? Annon omnia hodie inter Reformatos & Pontificios, Pontificios & Turcas, inter Gog & Magog composita & sedata? Ita securus olim *Godolias* deferentes *Ismaelis* proditones audire noluit. *Falsum est* (inquit *quod loquimini de Ismaele*). Sed obruncatus postea nefariè, sub amicitia specie, reliquit posteris documentum, quàm temerè illis qui dissentiant à nobis in fide, fides adhibeatur. Non igitur nos effascinet quispiam (P. & F.) deauratis titulis aut lenocinijs, vel lactet spe inani, ac si procella, hanc (quàm fruimur) non comitaretur malaciam.

*Creditis auctos hostes, aut ulla putatis
Dona carere dolis Danaùm?*

Annulus.

Biblia.

Num. 21.

1. Cor. 15.

Sunt ista philtrea meretricis, quæ soporem inducunt. Certò apud vos statuite, quamdiu extinctæ non jacent, sed vel sensim fumant, caudæ istorum titionum Gog & Magog, expectandum semper esse incendium. In tam distracto & suspecto rerum statu, quæris tu cum Rege Joram, *Estne pax?* Respondeo cum Jehu, *quæ pax, cum fornicationes Iezabelis* Romanæ, & veneficia ejus inter nos tam multa adhuc vigent? Quæ pax, cum domi Collybistæ & Trapezita, inter altaria Domini res sacras sacrilegè nundinantur? Quæ pax, cum *Locuste*, & *Ranae*, Jesuiticæ, non ulterius latitant in angulis, sed liberè, pro libitu huc & illuc vagantur, & limina non tantùm terunt, sed ingrediuntur Magnatum Anacinteria? Quæ pax in torpente Clero, tumescente populo, luxuriante schola, molientibus Gog & Magog extremos impetus? Nomen non dedit Agno, qui arma hîc non expedit, & socios non excitat; ut unitis viribus, in ultimo hoc actu, & fatali Armageddon, contra tales hostes nervos intenderent. Academia Mater (ut videtis filios suos, non ut olim Thetis Achillem) subducit. Ecce enim nova Ducum manus, quæ sponte ad tantum discrimen capita & pectora objiciunt. Hos autem ne in progressu deterreant, & cornua bestiarum, & ipso penè sono tremenda nomina, armandi sunt à me paulò diligentius, ut & socii agnoscant eos ex insignibus; & hostes trepident ad nota victoriæ trophæa. *Primò igitur in militia hujus auspiciarius auctoramentum, accipite (Dilecti Filij) hunc annulum circularem & aureum. Circulus ostendit labores vestros in orbem indies redire; metallum, quod igne non consumitur, sed potius purgatur, inculcare vobis debet auream istam integritatem, quam reficit, non diminuit, afflictionis fornax, dilatat non dividit contudentium malleus. Uberiùs hoc vobis explicabit liber hic, quem secundo vobis trado, ut præcipuum cælestis Imperatoris diploma. Quid nugantur nonnulli de libro bellorum Domini, Num. 21. 14. ac si aliqua pars Canonis esset amissa? Hic (inquam) in hisce Fastis *Jeonv&usis*, comprehenduntur omnia, quæ aut antiquitus moliri sunt, hostes in Ecclesia, aut in posterum ab Ecclesia sunt expectanda. Sicut fecit Dominus in Mari rubro & in Torrentibus Arnon, ita unicam suam è cornibus unicornium semper eripiet. Gemuit illa sub Pharaone & evasit; abducta erat à Nebuchadnezzar, & rediit; attrivit eam Antiochi Epiphanis & sociorum rabies, major tamen in adventu Messia, emicuit gloria secundi Templi, quàm primi. O quàm consultum vobis esset (dilecti Filij) ex hoc Torrente lapides limpidissimos seligere, quos in frontem Gog & Magog (Davidis successu) insigatis. Aderint vobis rubicines Elajas, Jeremias, & omnes Prophetæ ad classicum auspiciatissimum canendum: sonus Apostolorum, qui exivit in omnes terras, clamores vestros terrificos efficiet: Pauli pugna cum bestiis more hominum, eventum congressûs vobis similem confirmabit.*

mabit. Et ne nudato capite temerè ictus subeatis, sit pileum hoc in galeæ symbolum, quo non rectiores tantùm, sed liberiores in arenam descendatis. Gog & Magog (ut accepistis) non in uno herent Territorio: exeunt ut seducant gentes, quæ sunt in quatuor angulis terræ. Ad easdem oras vos dirigat, pilei huius vestri quadrati forma, à quacunque terra plaga, quocunque sub axe periculum emineat. Fili hominis faciem tuam obfirma contra Gog & Magog. Utque expeditiores sitis ad sagittarium illum comitandum, qui insidens equo albo, exivit vincens ut vinceret, Ocreis huc instructi venistis, quibus victoriæ gloria, Ducis præstantia, hostium conatus, vincientium Anathemata, acclamantium applausus adderent (quæ hic non invenio) calcaria. Nec retardet impetum hostium multitudo, vel deterreat vestra paucitas; non enim hic agitur vestra tantùm salus, sed Domini exercituum gloria. Quare si terrena omnia deficerent, descendet è cælo ignis (ut pollicetur textus) & hostes omnes devorabit. Vobis solatio erit in Polyandrio, sive in Hamon Gog, (ut prædixit Ezechiel) sepelire corpora; & ex cætorum hastis & spolijs septennalem focum instruere. Erectos igitur tam immortâ fiduciâ, quid aliud restat, nisi ut pacis osculo, ad prælium vos dimittam? va (inquiunt Judæi) illi, qui filius vini est, & degenerat in acetum. Habetur in Chronicis nostris (sed quam verè, fides sit penes Authores) Corineum nostrum Cornubiensem, Bruti comitem, palastrâ vicisse Gigantem quendam, è præscis huius regni incolis, nomine Gogmagog, illumque è scopulis Dorobornæ, in mare precipitâsse. Fabula si sit, Anuódiov sortiatur, in vestris conatibus; ne etas parentum pejor avis, observetur nos tulisse majoribus tantis prorsus indignos; ecce Gogmagog alter (licet umbratilis) vos haud aliter provocat in hoc circo ad luctam; unus omnes, fretus giganteâ penè mole. Nec metuit propinquos scopulos, aut exercitatioes vestros lacertos. Ostendite igitur vos non frustrâ panopliam hanc modò induisse, non in lumbifragium huius, qui inducias spondet, & cito vobiscum rediturus est in gratiam; sed in specimen quid acturi estis cum illis hostibus, qui cum Gog & Magog Apocalypticæ arma vestra decretoria in posterum sunt experiri.

Pileum.

Ezech. 38. 2.

Apoc. 6. 2.

Ocreis.

Apoc. 20. 9.

Cap. 39.

Resp. M.

Tho. Marlet

Sa. Th. Bac.

haud vulga-

ris statura.

Deo, Patri, Filio, & Spiritui Sancto, sit omnis laus, honor, & gloria, in secula secula seculorum, *A M E N.*

